

287

285

291

281

296

276

336

236

386

186

Ende

Anfang

276

testimonium, Capite ubi supra. Si ergo sic est, quod Cretenses semper sunt mendaces, semper fuerunt filii diaboli, cum secundum Domini sententiam Johannis VIII. diabolus ab initio in veritate non stetit, sed mendax est et pater mendacii. Si semper malae bestiae, semper fuerunt hominibus insidiosi, quod etiam de diabolo dicitur, quia insatiabilis homicida est. Idem ex alio patet, quod scilicet Cretenses a diabolo sint: nam Johannis I: qui de terra est, de terra loquitur, qui de coelo, de coelo. Sic qui de inferno loquuntur, de inferno. Cretenses autem in omni locutione, jocosa et seriosa, falsa et vera, semper nomen diaboli assumunt, et secundum verbum est diabolus. Unde dicunt pro certo, quod puer, antequam sciat vocare patrem suum, scit nominare diabolum. Et hoc hodie experti sumus in hac insula. Idecirco propter singularem illorum hominum nequitiam placuit antiquis Graecis non Graeciam sed Cretam eam terram nominari. Haec insula celeberrima apud veteres fuit, et creberrime carmina poetica canunt. Nam in ea Saturnus creditur ille vetustissimus esse progenitus et frater ejus Titan et sorores. Titan autem, cum esset major natu, regnare voluit, sed quia turpis facie fuit, et (B) inhumanus gigas, suasum est Saturno accipere sibi regnum. Titan autem, videns fratris sui ambitionem, cessit regno illa conditione, ut si quis nasceretur virilis seminis ei, mox eum necaret, hoc pacto sperans tandem regnum in suorum filiorum potestatem deventurum. Natum ergo primum filium necavit. Alii dicunt, quod omnes suos filios devoravit et statim devoratos evomuit. Porro, dum uxor ejus Opis iterum concepisset geminosque edidisset, Junonem foeminam et Jovem marem, obtulerunt patri Junonem et lapidem, dicentes, Opem cum Junone petram genuisse, Jovem autem clam in altissimum Cretae montem Idam alendum matri transmisit, et Curetis populis transmissus est, quem Melissëus rex Cretae assumxit eumque duabus suis filiabus commendavit, quae eum melle et caprino lacte nutrierunt. Alii dicunt, quod melle tantum sit nutritus ab apibus. Nam dum puer fleret, ne audiretur ejus fletus, cymbala, tympana, clypeos et arma pulsabant, ad quorum sonitum suo more convolantes apes mella in os parvuli Jovis inferebant; ob quod beneficium postea deus factus, hanc contulit apibus gratiam, ut sine coitu generarent.

Fingunt alii dicentes, eum Nymphas in apes convertisse, a

